

**Dissertatio medica inauguralis, de amaurosi ... / Eruditorum examini
submittit Franciscus van de Wynpersse.**

Contributors

Wynpersse, Franciscus van de.
Albinus, Bernhard Siegfried, 1697-1770.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Abrahamum Kallewieb, [1738]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wjmcq9en>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

PLACENT ET PROSUNT
DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE

A M A U R O S I,

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,
MEDICINÆ DOCTORIS, ANATOMES ET
CHIRURGICÆ PROFESSORIS ORDINARIJ,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

FRANCISCUS VAN DE WYNPERSSSE;
Medioburgo Zelandus.

Ad diem 7. Julij 1738. horâ locoque solitis.




DISSERTATION
MEDICA INAGURALIS

A. M. A. U. R. O. S.

ANNO 1820
D. HERNARDI NICHOLAI ALBINI
MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMAE ET
CHIRURGICAE PROFESSORIS ORDINARI

PRO GRADU DOCTORATUS
Sponsus in Medicina Honoribus & Privilegiis
inseparabiliter coniunctis

FRANCISCUS VAN DER WYTERBEE



V I R O

SPECTATISSIMO HONORATISSIMO

D. JACOBO VAN DE WYNPERSSE,
INFERIORIS TERRITORII DOMBURGEN-
SIS QUOD AD MARE EST ET MARIEKERKE
TOPARCHÆ, IN COLLEGIUM VIGINTI
QUATUOR VIRORUM COMMUNI POSSES-
SORUM NOMINE TOTIUS VALACHRIÆ
AGROS REPRÆSENTANTIUM DEPUTA-
TO, PATRI SUO OMNIBUS PIETATIS OF-
FICIIS AD ROGUM USQUE COLENDO.

D. JOHANNI VAN DE WYNPERSSE, Jcto.
CAUSARUM IN NOBILISSIMA FLANDRIÆ
CURIA, QUÆ MEDIOBURGI EST, PATRO-
NO, FRATRI SUO DILECTISSIMO.

D. BARTHOLOMÆO BOMME,
MERCATORI VIGILANTISSIMO, FRATRI
PER AFFINITATEM CONJUNCTISSIMO.

D. JOHANNI HULSIO,
ECCLESIASTI SACRORUM ORACULORUM
IN ECCLESIA GRONINGANA CASTISSI-
MO, FIDELISSIMO, AVUNCULO SUO
PLURIMUM DE SE MERITO, SEMPER-
QUE VENERANDO.

D. JOHANNI PETRO RECXSTOOT, Jcto.
URBIS THOLENSIS SENATORI ET CON-
SULARI, NOBILISSIMIS AC PRÆPOTENTI-
BUS ZELANDIÆ ORDINIBUS A SECRE-
TIS, COGNATO SUO OMNI HONORIS GE-
NERE PROSEQUENDO.

1 2 3
G NEC NON

D. DAVIDI DU TOICT,
MERCATORI LAUDATISSIMO INTEGERRI-
MO.

D. JACOBO DU TOICT,
IN ECCLESIA LEYDENSI VERBI DIVINI
MINISTRO FIDELISSIMO AC PLURIMUM
REVERENDO.

D. PETRO BUSTIN,
MERCATORI STRENUO, VIGILANTISSI-
MO, COGNATIS SUIS EA, QUA PAR EST
OBSERVANTIA, COLENDIS.

Hasce studiorum suorum primitias

D. D. D.

FRANCISCUS VAN DE WYNFERSSE.

Auctor & Defensor.

DIS-

P R O O E M I U M.

Linter omnes sensus externos, nullus præstantior est Visu, sive eximiam ejus utilitatem, sive mirabilem oculi fabricam spectemus. Hinc Veteres quidam Philosophi Visum menti Compararunt, Indicaturi, sine dubio, quod, quanto mens, divinæ particulæ auræ, (ut ajebant,) Corpus, tanto Visus reliquos omnes sensus, dignitate superet; Imo Galenus adeo in ejus admirationem raptus est, ut oculum divinum membrum appellaverit.

Nec sine ratione tam magnifice de hoc organo sensere veteres; oculi enim si Consideremus fabricam, hæc tanto artificio fabrefacta est, tot in compendio habentur hic partes tamque diversæ, membranæ duræ, molles, vasa, nervi, humores, musculi, &c. quæ tamen omnia absolute sunt necessaria, ut objecta rite percipiantur; tam artificiose, inquam, constructa est hæc machina, ut non mirum sit Cl. Guilielmum Derham argumentum inde sumsisse, pro stabilienda supremi rerum Opificis existentia.

Quod vero attinet ad usum, mediantibus oculis contemplamur, coelum, terram, reliqua mirabilia summi rerum Conditoris opera, quorum existentiam lumine capti ignoraremus; hisce juvanti-

R R O O E M I U M.

bus paragramus terras, maria, imus in terræ viscera, multaque alia perficimus, nobis cæteroquin oculorum usu privatis impossibilia; sic, ducibus his certissimis, multa inveniuntur nova, cognita expoliuntur, augentur. Nullum itaque sensum in scientiis & artibus excolendis visu puto utiliore. verum quo visus cæteris sensibus præstantior, quo hic nobis dulcior, eo ejus amissio tristior; hunc qui libet, ut summum vitæ infortunium, ademptum lugeat. Præterea, inter sensuum organa vix ac ne vix aliud reperitur, quod tot, quam oculi, requirat conditiones, cum ut fungatur munere suo, tum ut id melius & commodius peragatur: sed quo plures sunt conditiones ad functionem aliquam requisitæ, eo numerosioribus subicitur hæc functio lesionibus; nam ut Conditiones ad actiones ita & harum defectus. Inquit Cl. H. Boerhave Præceptor meus ad cineres usque colendus, hinc medici quidam ocularii trecentos circiter in uno oculo morbos numerarunt.

Hæc mecum reputans, cum legibus celeberrimæ hujus Academiæ sit obtemperandum, quod & lubens facio, inter tot hujus organi affectus cæcitatem illam, quam vocant Amaurosin, pro materie dissertationis præsentis selegi: quod ut cedat feliciter, faxit Deus T. O. M.

DIS-



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS.

DE

A M A U R O S I.

C A P U T I.

De definitione & Etymologia nominum, quibus hic morbus Insignitur.

§. I.



maurosis est abolita Videndi actio, adempto inter retinam, nervum opticum, & cerebrum commercio, nullo interim sensibili vitio in oculis affectis apparente; color enim pupillæ naturalis non est mutatus, omnes oculi partes, tunicae, humores, nullam labis suspicionem incurrun-
runt, tamen æger, amaurosi jam perfecta, ne lucem quidem meridianam percipere valet: unicum quod hic

hic præternaturale apparet, est pupilla duplo circiter amplior sana, & immobilis, præsertim si ambo simul oculi affecti fuerint.

§. 2.

Affectus hic dicitur græcis Amaurosis, a Verbo *αμαυρόω*, obfusco, & obsuro, quod inde visus maxime obfuscetur, & obscuretur: latinis vero *obscuritas*, quoniam æger continuo in obscuro & tenebris versatur; græcam tamen denominationem, utpote usu receptam, servamus, licet non desint, qui per *Amaurosin*, privationem visus, a causa in oculo sensibili, veluti cataracta, glaucomate, upopyo, tumore vel cicatrice corneæ, Nephelio, &c. ortam intelligant. Vocatur etiam *suffusio nigra*, *cataracta nigra*, forte quia pupilla nigra & serena manet, ut sic distinguatur a cataracta sive suffusione vulgari, in qua pupillæ nigredo in album, cinereum, aliumve colorem mutatur, unde etiam differentię gratia sæpe cataracta alba vocatur, dicitur & *gutta serena*, quæ vox ex Arabum opinione originem traxit, putabant enim humorem sive guttam quandam non pellucidam ex cerebro in nervum opticum fluere, & sic videndi actum impedire atque abolere, hinc *guttam* nominavere: eodem nomine olim podagram nominavere, unde & in hunc usque diem Gallis *La goutte* dicitur: alii adhuc morbi hoc nomine insigniti inveniuntur. *serena* vero simul audit ob serenitatem oculorum, quoniam aspicientibus oculi sani pulchri & fereni apparent.

Minor hujus morbi gradus Græcis *αμβλυωπία*, a vocibus *αμβλὺς* obtusus, hebes, & *ὄπιομαι* video, & Latinis hebetudo visus vocatur, quando quidem visus non plane tollitur, sed tamen notabiliter, ita ut valde

de debilis sit, absque vitio in oculis manifesto.

Hæc de Vocum Etymologia sufficiant.

CAPUT II.

De sede mali, & iis, quæ morbum futurum prænunciant.

§. 3.

Quidam solum nervum opticum considerant, tanquam subjectum sive partem affectam in Amaurosi, quod quidem sæpissime obtinet; verum cum ratio dicat; non opus esse immediata ipsius nervi optici læsione, ad morbum hunc producendum, nam si sola retina tunica, proximum visus organum, impar fuerit muneri suo obeundo, optico nervo intacto; hæc cæcitatæ species oritur, & observationes testentur, aliquando in loco ab opticis remoto causam morbi inveniri, ut deinceps patebit, ubi de causis agetur; Hinc indefessorum in observando Practicorum vestigia sequens, sedem mali non tantum in nervo optico immediate affecto, sed etiam in retina, substantia Corticali, medullari cerebri aliquando fixam esse existimo; quum & tali ratione commercium inter proprium visus organum & cerebrum sæpe tollatur.

§. 4.

Dixi (§. 3.) primarium visus organum esse tunicam retinam; hæc enim expansa, dimidium ovi putamen, vel pileolum qui glandi quercinæ superimponitur, figura sua referens, humorem vitreum immediate ambit, sicque posita est loco radiis, ab objectis visibilibus reflexis, per varios oculi humores

res refractis, collectis, excipiendis idoneo, ut his mediantibus in illa, tanquam in tabula, objectorum imagines pingantur, ibique motus imprimatur, qui per succum nervosum ad cerebrum, sensorium commune, propagatus, vi legis, adeo inter mentem & corpus sancitæ, excitet in anima perceptiones rerum adspectabilium.

Equidem Mariotte, & pauci ejus Assectæ, id muneris choroidi tunicæ tribuunt, asserentes, retinam, utpote Diaphanam, transmittere radios, in choroidæ opaca imagines corporum, unde reflectantur, representantes.

Verum nervi sunt organa sensuum, hoc enim constanter observatur in corpore animali; tactus, gustus, ope papillarum nervearum peraguntur, sic & in reliquis sensibus externis pars primaria sentiens est nervus: sed nihil aliud est retina, nisi continuatio & explicatio substantiæ medullaris nervi optici, adeoque ipsius cerebri; nec patet ratio, cur in solo oculo fieri debeat exceptio. præterea aliæ membranæ ad illud negotium minus aptæ videntur.

Retina denique non est tam diaphana, quam quidem contendit Mariotte, est coloris albogrysei rufedine mixti, per hanc radii non commode possunt penetrare usque ad choroidem, sed suffocantur. Imo multi Doctissimi, iique Celeberrimi Viri, adeo de hujus rei veritate persuasi fuere, ut dixerint, retinam esse principem oculi partem, cujus gratia reliquæ omnes factæ sunt. Sed de his satis, ne extra oleas vagari videar.

Transego ad signa, quæ hunc morbum prænuntiant.

§. 5.

Guttam serenam præcedere solent dolores in capite profundi, gravativi, his sensim cessantibus, incrementum capit illa; hoc tamen non est perpetuum, nam in quibusdam dolores dicti Amaurosin ipsam concomitantur, minuitur paulatim visus, tandem aboletur: præterea aliquando fiunt extemplo coeci, absque ullis doloribus prægressis. Signum vero certum & Pathognomicum invasuri morbi est, secundum Cl. Pitcan, si muscæ, arenæ, aliave similia, oculis obversari videantur, absque ullis opthalmiæ externæ signis, aut Corneæ pellucidæ inflammatione. Phænomeni hujus ratio hæc esse videtur: Retina est continuatio fibrillarum medullofarum cerebri, ut jam supra (§. 4.) diximus, hæ connectuntur membrana cellulosa, inter has decurrunt arteriæ, venæ plurimæ; ubi nunc hæc vasa humore suo nimis distenduntur, infarciuntur, fibrillæ medullofæ comprimuntur, insensibiles redduntur, hinc nulla potest in his imago depingi, in solis a compressione liberis excitatur sensus, adeoque multæ partes radiorum, ab objectis reflexorum, in retinam incidentium, erunt obscuræ; sed oculus continuo movetur, hinc obscuræ hæ partes muscas ante oculos volitantes referent.

C A P U T III.

De signis Diagnosticis.

§. 6.

Signis antecedentibus perlustratis, ad ea, quæ præsentem detegunt morbum, me conféro.

Primo intuitu non facile cognoscitur morbus, nisi ex relatione ægri, præcipue si tantum unus laboret oculus, totus enim apparet sanus (§. 1.); ratio hæc est: impedito, quacunque de causa, spirituum animalium in nervum opticum aut inde in retinam, fluxu, hujus tunicæ fibræ laxantur, non amplius afficiuntur a radiis in eam incidentibus, sed hoc vitium non transit ad alias oculi partes, hinc nihil in illo præternaturale apparet. Attamen quando simul uterque oculus affectus est, attentius consideranti pupilla solito amplior & immobilis apparet (§. 1.). Cum hoc excepto nihil aliud præternaturale advertatur, forte operæ pretium erit phænomena conferre, quæ in pupilla sanorum, cum illis, quæ in ea amaurosi correptorum contingunt. Uvea est velum sive cortina, radiorum in oculum ingressum moderans ejus pupillæ contractione vel laxatione: in magna luce solis, ignis vel candelæ admotæ, nimia radiorum oculos subeuntium quantitas male afficeret retinam, hinc sanorum pupilla contrahitur, & tali ratione minor radiorum copia ingreditur: e contrario, in loco obscuriore, ut tamen oculus adhuc aliquid videat, radii debiliores & pauci vix possent ferire retinam sufficienter ad excitandum sensum, hinc eorundem pupilla dilatatur, major radiorum quantitas afficiendæ retinæ apta ingreditur: Sanorum proinde pupilla circa meridiem, serena die, angustior, vespertino tempore, amplior,prehenditur. in oculis ex amaurosi cæcis pupilla ad omnes has lucis mutationes dilatata & immobilis manet, nec admota luce majore angustatur. Ratio deducenda videtur, non inde, quod via spirituum pupillam dilatantium sit obstructa, ut olim credideret, adeoque laxam & immobilem manere hanc oporteat;

teat; sed quia retina non amplius a luce afficitur, nihilque excitat animam, ut determinet spiritus animales in fibras uveæ motrices, via cæterum libera existente. Plempis tamen in ophthalmogravia sua, narrat se vidisse puellam Gutta serena laborantem, sub qua, inquit, ne luculentissimum quidem solem agnoscebat, variabat nihilominus pupilla non solum occluso oculo altero, sed ambæ modo se contrahebant, modo ampliabant, pro ut vel ad lucem, vel ad locum obscurum oculi convertebantur, non tamen adeo contrahebantur, quam in oculis sanis & salvis. Sed rarissima sunt hæc exempla.

§. 7.

Quando unum tantum oculum Gutta serena occupat, nihil præter naturam advertitur ambobus oculis apertis, nec facile distinguere licet oculum affectum a sano, ambæ pupillæ æqualem habent diametrum, contrahuntur ad majorem lucem æqualiter, ad minorem laxantur; eadem observantur, ubi objecta vix remotiora, mox propria aspiciuntur, aut inter oculos & lucem corpus opacum transfertur. Nec obscura est hujus phænomeni ratio, motores enim nervi, tendentes ad uveam oculi amaurosi laborantis, cum sint æque sani atque illi alterius visu integro gaudentis, motu a radiis incidentibus retinæ illæiæ impresso, derivantur spiritus animales in fibras motrices utriusque uveæ, hinc sequitur pupilla affecti oculi motum ejus sani.

Tali ergo in casu accedat ipsius relatio oportet, qua confitetur se altero oculo videre non posse. Oculus illæsus sic cognitus claudendus, tunc advertitur affecti pupillam sensim se dilatare, licet exposita sit luci, & sic laxa perseverat in eodem statu, donec alter ocu-

lus aperiatur, tunc dilatata pupilla sensim contrahitur, donec redierit ad diametrum pupillæ oculi boni æqualem: tali tunc signo deprehenditur nihil amplius visus superesse in oculo affecto.

§. 8.

In infantibus, qui cum hoc morbo nati sunt, non statim percipitur malum, sed tractu temporis; præterea observant medici ocularii, quod licet eorum pupilla motu careat, nihilominus non magis sit dilatata, quem in statu isti ætati naturali. Notant etiam speciem amauroseos in altero oculo, ubi pupilla semper est contracta, sive oculus sanus aperiatur, sive claudatur. Quando dimidia alterutrius oculi pars tantum hoc affectu læsa, cognoscitur hæc species, si jubeatur æger inspicere librum apertum, oculo sano prius clauso, tunc enim tantum dimidiam paginæ partem, sed oculo sano integram, percipit. Ex dictis (§. 6. 7. 8.) patet, verum Pathognomicum non quærendum esse in sola pupillæ dilatatione nimia, aut ejus immobilitate, sed hæc simul jungenda esse cum ægri relatione, & externo oculi, apparenter sani, habitu.

§. 9.

Signa, quibus Amaurosis ab aliis cæcitatibus differt, sponte patent, cum in his semper aliquod oculi Vitium appareat, in illa nullum. Pupilla, naturaliter nigra, non mutat in Gutta serena colorem, sed in Cataracta acquirit eundem a nigro diversum, ut plurimum albicantem, gryseum vel margaritæ similem.

Distinguuntur ob omni Corneæ opacitate, sive a pure, sive cicatricibus, maculis, inducta; cum in Amaurosi Cornea sanæ sit simillima. Cætera, ne longior sim, missa faciam, ad causas, hanc caliginem producere valentes, transiturus.

CAPUT IV.

Causas exhibens.

§. 10.

Omne id, quod impedit ne radii, objecta in retina tunica depingentes, illum excitare possint in ea sensum sive motum, qui communicatus ad sensorium commune, animam reddat consciam rei actu visæ; adeoque impedimentum transfluxus spirituum animalium in nervum opticum, retinamve, amauroseos causam proximam constituit.

§. 11.

Remotæ causæ plurimæ, assiduo præstantiorum Practicorum labore & industria detectæ, memoria traditæ, ad tres classes præcipuos referri posse videntur, nempe ad compressionem, obstructionem, & unitatem solutam; quibus addi possunt spasmus & forte causa hæreditaria.

§. 12.

Scirrhi ad nervorum opticorum ortum, calculi eodem loci, aut in eorum substantia; vesica aqua plena circa horum nervorum sic dictum coalitum; exostoses circa opticos, præcipue in lue venerea affectis; tumores duræ matris circa memoratos nervos, aut in ea parte, qua foramen, his transitum præbens, investit; sunt causæ, quæ ex diligenti cadaverum sectione repertæ, amaurosin produxerant, opticos comprimentes, impediens succi nervosi per illos in retinam transitum, unde insensilis hæc tunica non erat propagando motum, a radiis luminis ei impressum, usque ad sensorium commune; hinc nec in mente ori-

riri potuerat idea objectorum per radios reflexos expansionem nervorum opticorum medullarem ferientium.

§. 13.

Cranium, in junioribus intropressum, post fracturas in adultis intropulsus, premens cerebri corticem, medullæ, in nervos opticos porrectæ, originem præbentem; materies collecta inter cranium & duram matrem, inter meninges & corticem, aut eo loci ut medullam jam memoratam comprimere queat; spirituum animalium, opticis debitorum, secretionem, transfluxum, impediunt, hinc ut alios affectus, a Cl. Boerhave, Medicorum principe, recensitos *Aph. de Cogn. & Cur. morb.* §. 267., sic oculorum caliginem ratione dicta (§. 12.) inducere possunt. Vulnere Capitis; ejus contusiones; casus ab alto in Caput; ruptis vasis, effusis liquidis, effectui modo recensito edendo sunt apta. a Vulneribus, in orbitam, aut in partem Capitis anteriorem penetrantibus, sanguis ex apertis vasis extravasatus, opticos nervos premens, inhibet spirituum per eos in retinam in fluxum, visus functionem tollit.

§. 14.

In febribus continuis, inflammatoriis, Phrenitide præsertim, orta inflammatione in vasis, per nervi optici involucra, ejusve mediam substantiam decurrentibus, aut in ramo carotidis internæ, qui applicatus angulo foraminis, eidem nervo exitum concedentis, simul cum illo orbitam ingreditur; vasa hæc materie phlogistica distenta, comprimunt opticos, eorumque medullam, & eo magis quidem, quod hinc nervi transeant per vias osseas cedere nescias; hinc intercipitur spirituum in retinam influxus, cum subsequente Cæcitate

tate, duratura donec soluta inflammatione, arteriæ pristinæ diametro restitutæ, & tubuli medullofi jam liberi spiritibus transmittendis apti fuerint.

§. 15.

a Violenta spiritus detentione, quemadmodum tubicinibus contingit, hunc morbum ortum observarunt jam antiqui; tubam enim inflaturi, capiunt aëris quantum possunt, pulmone sic distento, sanguis minus transit, minori copia per venas pulmonales redit in cor sinistrum, hinc accumulatur in venis ad cor dextrum reducentibus, rubet facies, turgent vasa; hoc circa opticos contingente, nemo non videt effectum.

Accedit quod musici plerumque Baccho litare solent, hinc binæ concurrent causæ ad eundem effectum producendum.

§. 16.

Nimius spirituosorum inebriantium potus, inter nocturnas diurnasve compotationes; abusus volatili-um aromaticorum; sudorifera; insolatio; sanguinis impetum augent, majorem excitant calorem, hinc rarescunt humores, vasa dilatantur; distentis arteriis jam memoratis, fiunt eadem quæ (§. 14.) Amaurosis, cujus meminit Cl. Tulpus l. 1. c. 31. an a veneno assumpto? a vero a mero potu?

§. 17.

Validissima vomitoria; sternutationes immodicæ; violento nixu humores magis versus caput, hinc oculos derivant, vasa humore distendente turgent, unde effectus (§. 14.) aut in plethoricis vasa rumpi, effusi humores producere (§. 13.) poterunt: vel in cacochymicis pituitosis, crassiora in tubulos forte opticonum impelli, aut

C

po-

potius in minima vasa, his ortum prebentia, adiguntur.

§. 18.

Suppressio menst ruorum in puellis, foeminis gravidis; aut fluxus hæmorrhoidalis in viris; sanguine retento plethoram auget, vasa distendit, quibus (§. 14.) tumentibus, similes erunt effectus. Partus difficilis quandoque, propter vehementes sæpius repetitos parturientis nixus, faciet ea, quæ (§. 15.).

Hæ sunt circiter causæ, quæ comprimendo guttam ferenam producere possunt; nunc illas quæ eundem obstruendo effectum edere valent, recensere aggredior.

§. 19.

Inter superius allegatas causas, nonnullæ, non tantum per compressionem, sed etiam per obstructionem, amaurosin creare possunt; v. g. vomitus, stertutatio (§. 17.); præterea insolatio nimia, sudorifera &c. aucto calore partes humorum mobiliiores, aquosas, spirituosas, volatiles, dissipant crassiores, obturandis vasculis aptas, relinquunt.

§. 20.

Nimia animi contentio in meditando, cum vigiliis, & inde animi mœroribus; cerebrum nervosque debilitant, consumunt spiritus, humores crassiores reddunt, eo magis si non sufficiens potus diluentis copia assumatur, aut cibi fuerint incrassantes; hinc facile humorum circa nervos opticos stagnatio, in eorum tubulos forte, saltem in vasa unde tandem eriantur, impulsio, obstructio, visus privatio.

Purgationes fortes, sanguinem agitant, educunt humores tenuiores, crassos, obstruendo idoneos, relinquunt.

Hæ-

Hæmorrhagiæ nimix spontaneæ, aliæve, corpus bono sanguine orbantes, imminuunt spiritus, debilitatem vaforum, viscerum, inducunt; hinc assimilatio impeditur, Cruda viscida, eo magis favente his diætâ, opturandis vasis apta, generantur.

§. 21.

Scabies, serpigines, Achores, retrocedentes; ulcera pedum, femorum, nimis cito & imprudenter consolidata; impuris viscidioribus humorum particulis jam versus organum visus translatis, facient quæ (§. 17. 20.). Gutta Serena Moluccana, de qua Bontius in *Medic. Indor.* mentionem facit, sæpe contingit iis, qui ad insulas Moluccas, Amboynam, Bandamve appellant, quam ab aëris humiditate & oryzæ calidæ usu derivat; sine dubio quia humores viscidos lentos reddunt. A bombardarum explosione terribili & continua, Amaurosin ortam tradunt, forte quod diathesi viscida præexistente, humores crassi, a tanto motu, in vasa (§. 17. 20.) impulsa fuerunt. Observarunt præterea nervos opticos exsiccatos, corrugatos, in senibus, aut etiam post febres, ardentes præsertim; in priore casu vasa minima coâluere, aucta sunt solida, fluida imminuta; in posteriore, subtilioribus diffatis, crassa relicta, quæ si obstruxerint Canales ante opticos, reliqui inde oriundi fiunt nulli, tandem concreescunt.

§. 22.

Venerem immodicam Amauroseos esse causam quandoque, jam meminere veteres; hinc ait Sanctorius, in *Med. stat.*, *coitus immoderatus lædit oculos, visionem, quia ab oculis subducit maximam spirituum copiam.*

Exhauriuntur enim vires, spiritus segnius influunt,

deficiunt, unde retina quasi paralytica, non satis vivide a radiis affici potest, ut motus ad sensorium commune propagetur. Solis, lunæ, fulguris, candelæ, aliorumque corporum valde splendentium, diuturnum aspectum, hunc morbum produxisse observatum; nimis vivida radiorum actio violentius afficit retinam, hanc tandem reddit insensibilem. Possent adhuc plures allegari causæ obstruentes, quas tamen, brevitatis causa, lubens prætermitto.

§. 23.

Vulnera per nervum opticum penetrantia, continuitate solventia; erosiones, aliquando in lue venerea ossa narium spongiosa confumentes, ad nervum opticum usque pergentes; tollendo commercium inter oculum & sensorium, faciunt Guttam serenam.

§. 24.

Concipi potest, quod si humor quidam acrior circa opticos stagnaverit, quacunque ex causa, eosque vellicaverit, spasmus contrahentur, non admittent spirituum per hos influxum.

Causam hæreditariam hic locum habere posse, æque ac in podagra, hæmoptoe, aliisque morbis, testatur observatio Jos. Lanzoni de mendico cæco, qui quinque liberos cæcos genuit. Rolfincius & Brisæus observarunt, ex dissolutione humoris vitrei, instar aquæ, hunc morbum ortum fuisse, videtur autem, quod, a tanta hujus humoris corruptione, simul ipsa retina, illum ambiens, necessario valde lædi debuerit.

Ex dictis (§. 10. ad 24.) concludi posse videtur, amaurosin esse proprie nervorum opticorum, & consequenter retinæ, Paralyfin, cujus causæ similes iis Paralyseos reliquorum in corpore nervorum, hinc

par-

partium quibus suos dant ramos, impediētes ad has succi nervosi, pro motu vel sensu, transfluxum.

CAPUT V.

De signis Causarum, & differentiis.

§. 25.

Causarum signa ut inveniātur, cautum requirunt medicum, nam ut plurimum non carent difficultate, quandoque maxima; nihilominus quædam 1°. facile deprehenduntur per sensus relationem; 2°. alia difficulter, investigari tamen queunt, inquirendo in omnes circumstantias, quemadmodum vixerit, quæ fuerit diæta, quid anteactum fuerit, qui morbi præcesserint, qui concomitentur &c. 3°. Rursus alia tantum conjectura assequi licet, aut demum quandoque ex defuncti cadavere aperto vera mali causa patet.

§. 26.

Fracturæ, impressiones cranii; vulnera capitis, contusiones, casus ab alto, febris &c. cognoscuntur ex (§. 25. n°. 1°.). Errores in rebus non naturalibus; scabies, achores, serpigines, retropulsæ; ulcera antiqua clausa; venus nimia; suppressio menstruum, hæmorrhoidum &c.; amaurosin produxisse scitur ex (§. 25. n°. 2°.) sic ubi cito videndi facultas amittitur, absque causa externa manifesta, dolores capitis prægressi, vel adhuc præsentēs sunt; judicamus humores in cerebro stagnare, obstruere.

Si

Si a causa externa, vulnere scilicet penetrante in orbitam, aut in anteriora capitis, subita oriatur amaurosis; persuademur nervum opticum vel ab effuso sanguine comprimi, vel contusum, violenter, extensum, pertusum, aut plane abscissum fuisse. Si præcessere imagines ante oculos volitantes (§. 5.), vasorum in retina dilatationem, obstructionem existere, aut ibi incepisse putamus.

Tandem ubi sensim aboletur visus, absque ulla causa, ex (§. 25. n°. 1°. 2°.) deprehenda; tumorem quendam circa opticos ortum, eos comprimentem, conjicimus, ex (§. 25. n°. 3°.).

§. 27.

Quod ad hujus morbi differentias attinet, hæ ex antecedentibus haud difficulter intelliguntur; Amaurosis enim est simplex, vel cum aliis morbis complicata; perfecta, ubi visus est integre abolitus, vel imperfecta, quando lucem quidem percipiunt ægri, sed objecta distinguere non possunt. Ambos oculos simul, vel unum tantum occupat; in hoc rursus vel totus oculus, vel dimidia ejus pars duntaxat, illa caligine afficitur. Præterea est recens vel inveterata; Idiopathica vel sympathica; connata vel acquisita; senilis, aut in juvenibus, adultis. Aliæ tandem differentiae, pro diversitate causæ; subjecti, temporis, effectuum, obtinere possunt.

CAPUT VI.

De Prognosi.

§. 28.

Prognosis hujus affectus maxime est dubia & incerta, sæpe non admittit medelam, tum quia ut plurimum difficulter vera causa detegi potest, cum etiam quod etsi forte intelligatur, tamen crebro tolli nequeat; hinc a multis amaurosis vera incurabilis habetur. Non tamen plane desperandum de felici eventu, & quo carior est homini visus, eo animosius aggredi debet medicus curationem, præsertim cum multos per naturam vel etiam per artem a gutta serena liberatos fuisse, observationes testentur.

§. 29.

Amaurosis, a scirrho, calculo, exostosi &c. Comprimimentibus (§. 12.); a soluta unitate nervi optici, per vulnera, suppurationes, erosiones (§. 23.); a vasis varicosis tumentibus in retina (§. 5.); aut ubi vitreus humor in oculo dissolutus (§. 25.); omnem medici opem eludit: cum enim talibus malis, hunc morbum producentibus, in externis partibus si contigerint, ubi tamen remedia immediate applicari possunt, difficulter medeatur, multo minus id in internis obtinebitur; præterea destructum nulla arte restitui potest.

§. 30.

Inveteratum hoc malum difficilius curatur; in fenibus

bus parum spei relinquit; ubi vero malum recens, in ætate juvenili, virili, a materie lenta, viscida, obstruente, spes in obstructione referenda collocatur, hac enim sublata, restituitur visus. Afferit Saint Yves, Medicus oculusarius Parisinus, observasse se in omnibus, quibus amaurosis incepit a levi inflammatione, doloribus in capite ad latus oculi ægri stipata, illorum deïn oculum sanum in eundem morbum incidisse.

§. 31.

Si amaurosis menstruorum, hæmorrhoidumve suppressorum culpâ contigerit, hisce ope naturæ vel artis restitutis, sæpe visus restituitur; cessante enim causa, cessat effectus; nonnunquam tamen morbus perseverat. A gravitate orta, sæpe ad quatuor, quinque vel sex menses, aliquando ad partus usque tempus perdurat, quo in lucem edito, sponte tollitur malum, secundum observationem Sennerti.

Testatur idem, cæcitatem ob capitis plagam, & casum ab alto, subito factam, interdum tertio alterove die cessare. Quæ a scabie, serpiginibus &c. retropulsis originem duxit, hisce redeuntibus vel sponte vel per adhibita medicamenta, aufertur. Amaurosin interdum sponte per febrim, aliasve mutationes insignes solutam fuisse, observatum: quo referre licet locum Celsi L. 6. C. 6. No 37. *Quidam sine ulla manifesta causa subito obcecati sunt; ex quibus nonnulli, cum aliquamdiu nihil vidissent, repentina profusione alvi, lumen receperunt.* Per Diarrhœam enim humor vasa nimis distendens, minuitur. Referunt etiam quosdam ab amaurosi fuisse liberatos per frontis vulnera; forte quod vasa circa nervos opticos nimis sanguine dilatata & tumentia fuere, quæ ner-

nervos compressere, quibus per fortuitum vulnus depletis, nervi liberi rursus transmissere spiritus.

Febribus accedentem, larga sæpius hæmorrhagia solvi, compertum.

C A P U T VII.

Curationem tradens.

§. 32.

Curatio requirit causæ obstruentis, comprimentis, si fieri potest, ablationem; excretiones solitæ, jam suppressæ, rursus provocandæ; humoris visceri, crassi, fluxiles reddendi &c.; sic tandem, effectu & ægri & Medici expectationi respondente, spirituum influxu in nervum opticum & retinam restituto, oculi visum recuperabunt.

§. 33.

Commendantur hic purgantia, tam præservationis, quam curationis gratia, ex Aloe, Scammonio, Jalappa, Pilul. Coch. maj. vel minor., aliisve, quibus non sufficit curam aggredi, sed toto curationis tempore, interpolatis vicibus exhiberi debent.

Eo magis convenire hæc videntur, quod natura spontaneâ Diarrhœâ hunc morbum quandoque sanaverit (§. 31.), cui sententiæ adstipulatur Celsus *l. c.* hisce verbis: *Quo minus alienum videtur, & recenti re, & interposito tempore, medicamentis quoque moliri dejectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant.* Vomitoria, licet aliquando per accidens profuerint, minus tamen tuta videntur, hæc

D

enim

enim humores, violento motu excitato, ad superiora rapiunt, sicque morbi causam augere possunt (§. 17.). Laudantur a quibusdam Decocta ex lignis Sassafras, Guajac. Chin. Lestisc. rad. Sarsaparil. &c. ab aliis Decoctum viperarum, utpote obstructionibus tollendis idoneum: Infusa pariter, ex Betonica, Meliss. Veronic. Sem. foenicul. aut aliis, instar theæ sumenda. Seri lactis, humores crassos diluentis, usum suadet Cl. Hofmannus. Hæc autem medicamenta, in curationis decursu, varianda sunt, ne idem remedium tandem ægro fastidium pariat, neve natura eidem assuefiat.

§. 34.

Venæ sectio conducit in Plethoricis, ubi in febre oritur malum, aut ubi a lapsu, contusione, sanguinem in capite stagnare, conjicimus: hanc tanquam validissimum remedium in plenitudine commendaverunt veteres.

Plempius, in *ophthalmogravia sua*, Spiegelium in hoc affectu, non sine fructu, mediam frontis venam pertundere solitum fuisse, sanguinemque tam diu eduxisse, donec sua sponte erumpere desineret. In obstructione menstruum, ut causa mali, sanguis ex venis inferioribus mittendus, simul adhibitis illis, quæ menses suppressos restitunt. Ubi vero hæmorrhoidum solitæ evacuationes, jam inhibitæ, huic affectui ansam dederunt, hæc admotis hirudinibus, aliave methodo, rursus sollicitandæ.

Si Fractura cranii, ejusve impressio, hoc malum induxit, in hoc casu cranii elevatio, mediante emplastro tenaci, in illo perterebratio ope trepani, curam absolvent. Sic removendo causas, tolletur effectus.

§. 35. Quando stagnationes humorum versus cerebrum & oculos subesse videntur, frequentius prodesse observantur vesicatoria, nuchæ aut pone aures applicata; quidam etiam apponere jubent ea humeris, circa Deltoïdem musculum, post olecranium, & carpis. Vesiculæ excitatæ diu foliis Betonicæ, Brassicæ, aliisve apertæ servandæ. Imo tanti fecit Riverius Vesicatoria, ut asseruerit, in casibus desperatis, ubi omnia frustra adhibita fuerant, vesicatorium toti capiti raso, instar cucuphæ admotum, etiam bis terve repetitum, ubi priores vesiculæ & excoriationes exsiccatae fuerant, multum quandoque profuisse. Conveniunt etiam Setacea per cervicem traducenda: vel fonticuli excitantur, mediante caustico potentiali, in variis locis, pone aures, inter primam & secundam colli vertebam, aut juxta quartam & quintam, &c. ulcus dein apertum servatur immisso piso, impositoque emplastro tenaci. His non proficientibus, suadent quidam causticum potentiale futuræ coronali admove. Nec laude carent cucurbitæ cum scarificatione occipitio affixæ, ita ut, secundum observationes Aëti & Riverii, sæpe contigerit, ægròs, incumbente adhuc cucurbita, miraculi instar, lumen recepisse. Alii has ficas cum multa flamma per horæ quadrantem, dorso, humeris, applicare jubent. His omnibus humores stagnantes a parte affecta ad exteriora derivantur, simulque evacuantur.

§. 36. Apophlegmatismi, specie Errhini, masticatorii, Gargarismatis, exhibiti, possunt esse boni effectus;

dum illud, excitato motu, viscidum solubile solvit, & per nares excutit, hi vero deflectunt materiem peccantem a loco affecto ad palatum; quod eo facilius fieri posse videtur, perpendendo viciniam nervi optici, membranæ schneiderianæ & palati.

Vehemens tamen sternutatio non videtur excitanda, præsertim cum ex præcedentibus (§. 17.) constet, violento hoc motu quosdam in Amaurosin incidisse. Quidam, inclinato & velato Capite, oculis apertis, Vapores ex Decocto herbarum emollientium excipere jubent. Usum etiam habent Balnea aquæ tepidæ ad crura & pedes, ante somnum; Frictiones extremarum partium, præcipue inferiorum: his enim derivantur humores ad inferiora.

§. 37.

Externa, oculis ipsis admovenda, quidam rejiciunt, illa nullius aut saltem exiguæ efficaciam censentes; alii, e contrario, quædam crebro usu sibi comprabata, summo opere laudant.

Bontius commendat oleum calore solis ex jecore Lamie piscis destillans, oculis inunctum, ut præsentaneum remedium.

Forestus oleum eodem modo stillans ex hepate pisciculi *aelpuik*, dicti, Ciliis & palpebris superioribus inungendum.

Hofmannus genuinam Viperarum pinguedinem, duabus vel tribus guttulis oculo instillandam.

§. 38.

Tandem si lues venerea causa fuerit mali, aut etiam lentum viscidum peccaverit, aliaque incassum fuerint adhibita, salivationem mercurialem suadent quidam non infimi subsellii Medici; cum mercurius viscosa crassa attenuet, attenuata in motum agat, pene-

metret per minima vasa, & sic obstructions referet; denique tali methodo plures visum recuperasse sit compertum.

§. 39.

Ad diætam quod attinet, hæc ita dirigenda est, ut causis resistat: vitentur cibi humores crassos generantes, potus inebriantes, insolatio capitis, & reliqua omnia quæ amaroſin producere deprehenduntur. Quantitas ciborum sit moderata, nimia enim ventriculi repletio, quantum hic noceat, facile intelligitur. Si æger non possit abstinere a vino, sumat tantum oligophorum, quidam Commendant vinum Euphrasiatim, quod fit ex Euphrasia, vindemiarum tempore dolio, musto pleno, immissa, tanquam specificum in oculorum caligine, si adsit causa frigida.

Hæc sunt, B. L. quæ vobis tradere proposui, Deus Ter Opt. Max. facit, ut cedat in sui gloriam, ægrorum curationem, & meam salutem.

T A N T U M.

C O R O L L A R I A.

I.

Amaurosis est paralysis nervorum opticorum & retinae.

II.

Amaurosis est quandoque sanabilis.

III.

Quandoque est insanabilis, nullisque paret medicamentis.

IV.

Quandoque subito nascitur & evanescit.

V.

Quae amaurosin inducunt, possunt eidem morbo mederi.

VI.

Communicatione inter cerebrum & retinam dempta, visus aufertur.

VII.

Retina est proximum visus organum.

VIII.

Medicamenta mercurialia in hoc affectu interdum divinam opem ferunt.

AAN

AAN DE HEER
FRANCOIS VAN DE WYNPERSSE,

*By gelegentheid dat zyn Ed. tot Genees-Heer
bevordert wiert.*

Op den 7. July 1738.

Waarom ik de logge snaren
Van myn half verroefte Lier
Zonder maat en zonder zwier
Wil met soete stemmen paren,
Is om dat ik zie beloont
Naarstigheit, en vlyd bekroont
Met een Krans van Lauwer blaren:

Hoe zou dan myn geest beswyken:
Neen dat dult de vriendschap niet
Die haar hulp en bystand biedt
Om dat maar van haar zou blyken
Dat zy weet dat hare pligt,
Niet is om door Lof-gedigt
Yders goetd-keur weg te stryken?

Kon Jupyn aan elk behagen
En voldeet hy yder een
Neen! zyn godheid was te kleen,
Zy genoeg dat ik zal wagen,
Met dees toon u huld te doen
Schoon dat ik geen krans van groen
Aan u deugd meen' op te dragen.

G'heb.

G' heb u zelf een kroon gevlogten
U tot eer de vlyd ten loon
Uit het alderschoonste schoon

(Daar veel Oude eer na sogten)
Van geleerde en wyze blaân
Die in staat zyn te verfaân

Alle weet-en ken-lust togten:

Nu zo hebt gy net beschreven
Hoe het alder eelst gefigt
Wel eens deert het lieve ligt,
En zo netjes saam geweven
(Schoon men vaak van buiten niet
Eenig leed of letfel fiet)
Middelen tot herstel te geven.

'k Sie U dan zo weder keeren
Met die kunst waar op men vry,
Roem, 't is d'heilzaam arzeny
Waar door dat men kan verweren
Alle ramp en pyn en smart
Die het Lighaam vaak benart?
Wie zal dan dees kunst niet eeren.

Hier en dient niet by gebleven,
Maar keert vry met deze schat
Na U Vaderlyke Stad
Om den kranken hulp te geven,
Toont hun U gediensfigheid
Als Gy dranken zo bereidt
Om te zorgen voor hun leven:

Leeft gefegent vele Jaaren
Zonder leedt en zonder rouw,
Maar niet altyd zonder Vrouw
Want wie wenst niet eens te paren,
Dies te meer wanneer dien guit
Op zyn duimtje lagt en fluit
't Is Cupied die zorg doet varen:

Zo hy wondt, wilt niet gaan zoeken.

Tot vermindering van u pyn

Kragt nog hulp der Medecyn

Haelt geen potjes uit de hoeken

Brengt niet eens dat goed by een,

Waegt maar vry een blauwe scheen

Maar blijft digtjes by u boeken:

Dan zie ik u quael genesen

Als gy maar een schoone maagd

Die door deugden U behaagd

En wiens schoon aantrekkelyk weesen

Straalen geeft van hare jeugd

En van onbevleete deugd

Door welspreken zult belesen:

Zo een schat voor U verkregen

Zy U lang gewenste deel,

Tot dat 't Huwelyks echtgareel

Door de dood! laas wort ontregen,

En U ziel wat beter waard

Door geloof ten hemel vaart

Om t' ontfangen groten zegen.

Ne Jupiter quidem omnibus

J:C:D: EBO.

Med. Stud.

E

AAN

A A N D E N H E E R
FRANCOIS VAN DE WYNPERSSSE,

Doen zyn Edele tot Meester in de Geneeskunst
gevordert wierd,

Den 7. July des Jaars 1738.

NA dat 'k den Raad der Goën eerbiedig bad gevraagd,
Of 't haer behaegen zonde, ik met myn zwakke pennen
In vers ten toppunt van Parnassus zonde rennen,
Zo zeyde Apollo ja, maar 't is wat veel gewaagd.

Ik gaf den God gelyk, maar nimmer grooter vreugd
Beving my, als doenmaals, mits een der negen Maagden
Het woord voor my opnam, en wyl 't Apol' behaagden,
Zo bad zy aan den Raad om gunste voor myn Jeugd.

Die z' ook met een verkreeg, door middel van haar taal,
Alzoo het Godendom haar aansprak Terpsichore
Uw bee zy U vergund, men laat den Knaap maar hoore,
Waarop ik wierd terstond geleyd in Febus Zaal.

Daar ik, na myne groet aan Parnas Oppergoôn
Te hebben afgelegt, aldus myn toonen stelde,
En met myn zwakke Lier dit tot Uw Lof vermeldde,
Vermids het my wierd van een Zang-godin geboôn.

*Beroemde WYNPERS, die, in de opkomst' uwer Jaaren,
Uw Vaderland ten roem, voor uw 's gelyk niet zwigt
In de Geneeskunst, waar in gy ver' zyt verligt,
Vergun my dat 'k U cier met lauw'ren om uw haren.*

*Laat ik uw groot vernuft de Menschen openbaren,
Dat, op de grondslag van uw naarstigheid gebouwd,
Wel waard is, dat den lyder U zyn lyf betrouwd,
Die na genezing wenscht, en nog niet heen wilt varen.*

*ô Ja my dunk 'k zie reeds, de zieken op U wagten,
Als of uw komste haar herstellen zoud' gewis,
En zoo gy haar geneest, zoo zullen s' uw zoo 'k gis
Of schoon gy zyt een Mensch als eenig Godheid agten.*

*Wilt dan met alle vlyt na 't Vaderland toekeeren,
Alwaar uw Vader U met vreugd ontfangen sal,
En daar ik wensch, dat gy, den kranken ten geval,
Veel jaaren leven moogt om ziekten af te weeren.*

*Dus zynde dan een troost, voor Man, Vrouw, Kind en Maag'en,
Wensch ik, u eyndelyk myn Vriend als 't u behaagd,
Uw naarstigheit ten loon, een jonge en schoone Maagd,
Die u uyt teed're Liefde in alles zal behaagen.*

Non ut volui sed ut valui.

JACOBUS EVERA;

Med. Stud.

TER INWYING

Van den HEERE

FRANCOIS VAN DE WYNPERSSÉ,

Tot Doctor in de Geneeskunde.

Ik juich U toe myn Vrind, nu ik U zie verheven
In Pallas Tempel Choor tot op den hoogsten trap,
En nu dat Gy een proev van Uwe Wetenschap,
Door dit doorwrogt geschrift, den Weereld hebt gegeven.

Ga voort Geleerde HEER; en wil U nu begeven
Na U Geboorte Stadt, om daar het Dokterschap
Te oefnen; my dunk, 'k Zie reeds met handgeklap
Der Landgenooten, U de Haven binnen streven.

Zoo steigert Uwe Roem met schitterende Glans
Ver boven 't Starren Hof, tot 's Hemels hooge Trans,
Zoo kunt Gy Haat en Nyd, Manmoediglyk braveren;

En als de Minne Godt U eens het harte raakt,
Kiest dan een schoone Maagt, die rein in Liefde blaakt,
Zo ziet men U Geslagt nog luisterryk vermeerren.

Amicus Amico

raptim cecinit.

AAN

AAN DEN GELEERDEN HEERE
DEN HEERE
FRANCOIS VAN DE WYNPERSSE;

*Doen zyn Ed. na 't Disputeeren over de steke
Blindheid tot Doctor in De Medicyne wierd
ingehuldigt.*

Virtutis Gloria merces.

Die Godgeweyde wierooks geur,
Door Pallas gulde tempel zaalen
Verspreyt, en haar gewyde deur
Met frisch gekranste Myrth doet praalen.

*Word door haar Godheyds Priesterdom;
Begloort met waare wysheyds glanssen,
Geleyd in 't binnenst Heyligdom
Daar Phœbus blinkt, als sterrestranssen.*

*Daar Æsculaap geen Ligt verveelt,
Daar Podaliers geroemde gaven,
Vereeuwigt zyn, daar Chirons beelt
Verciert de schoone Rey der Braven.*

*En daar Machaon, Hippocraat
Op luysterryke statie throonen,
Galeen en Avicenna staat,
Met onverwelkbre Lauwerkroonen.*

Gy zoekt dat Heerlyk oogtafreel,
Heer WYNPERS, op gewenschte spooren,
Gy agt dat Heylryk pronkjuweel
Veel meer, als 't zwaare goud der mooren.

Veel meer als dat gezogte goëdt,
Dat uyt der Oost'ren ryke stranden
Gevischt, het wankelend gemoedt
Verkragt, en in begeert doet branden.

De wysheyd heeft uw 't hert geblaakt.
De wysheyd schenkt de schoonste bloemen,
Waar door men zig onsterfelyk maakt,
En aard en hemel langs doet roemen.

De wysheyd voer uw verder op,
De wysheyd laat u nooit verleegen,
De wysheyd gun uw d' hoogste top,
Van Eer, Uw naam een milde zeegen.

Non nomine sed Corde.